

subarcuatis-erecto-patulis prominentibus, oblique transverse venosis. *Carpella ellipsoidea* mucronata saepe monosperma, passim biarticulato-disperma. *Ramorum sterilitum folia* lato-elliptica, basi subcordata; in universum foliorum forma ludit a latiore usque ad cuneato-lanceolatam. In *Sumatra* folia basi emarginella, apice lato-rotundata etiam profert. — *Iava*. — *Sumatra*, in Doekoe: KORTHALS.

### GONIOTHALAMUS BL.

Generis characteri addere oportet: *Carpella* matura mono- vel disperma.

1. **GONIOTHALAMUS CERAMENSIS** MIQ. n. sp. Ramuli (vetustiores) glabri; folia nascentia subtus praesertim in costa cum petiolo adpresso velutino-villosula, e basi brevi-lato-acuta oblonga subabrupte breviter obtusiuscule acuminata, chartacea, adulta glabra, venis costalibus numerosis densis leviter arcuatis ante marginem confluentibus supra magis quam subtus distinctis, illic prominulis; pedunculus axillaris, fructifer longiusculus, toro parvulo obovoideo globoso piloso; carpella haud numerosa abrupte stipitata ellipsoideo-globosa, magna.

*G. Tapis* foliorum forma et nervis quodammodo accedit, pedunculo elongato, tori et carpellorum forma et magnitudine diversis statim dignoscendus. A speciebus malaccensis descriptis notis indicatis etiam haud difficili negotio discernitur. *Ramuli* supp., qui pedunculos maturos gerunt, itaque adultiores, glabri, teretiusculi, superne angulati, pro foliorum mole tenues. *Petioli* 4—5 lin. longi, in sicco rugulosi atque fusco-nigrescentes, antice canaliculati, novelli cum folii costa subtus pilis lucidis subflavescenti-rufis adpressis sublaxe obsessi, pilis in folii parenchymate rarioribus. *Folia* adulta haud crassa, flexibili-chartacea, supra lucidula sordide fuscescentia secus costam sulcata, venis prominulis notata, subtus pallidiora, haud lucida, costa semiconvexo-prominente haud valida, venis tenerrimis oculo armato discernendis, spatio semipollice breviore vel vix id adaequante diremtis, venula brevi citius dissoluta e costa orta singulis fere interiecta, siccata marginibus leviter revoluta, 11—9 poll. longa, 4—3 lata, acumine brevi obtuso sed distincto terminata. *Pedunculus* maturus 1½ poll. longus, haud crassus, apice leviter incrassatus, *toro* pisi mole, partibus omnibus deiectis, cicatricibus terminalibus 2 maioribus, 6—7 lateralibus minoribus notato, inter cicatrices piloso. *Carpellum* unicum suppetit, stipite 5 lin. longo compresso haud crasso suffultum, ellipsoideo-globosum, uno latere costa obtusa longitudinali, altero latere altera striaeformi, utraque e stipite continuata, percursum, 1½ poll. longum. — *Ceram*: TEYSMANN.

2. **GONIOTHALAMUS BREVICUSPIS** MIQ. n. sp. Ramuli petiolique pilis subadpressis, folia iisdem adpressis brevibus albidis adspersa; folia e basi brevi-acuta in petiolum brevem subdecurrente subaequilato-oblonga, ex apice rotundato abrupte apiculo brevi acuto submucronato-pungente aucta, subcoriacea, supra glabra secus costam leviter prominulam subcanaliculata, subtus pallidiora, costa validiuscula usque ad acuminis apicem perdistincta, venis costalibus erecto-patulis ante marginem unitis numerosis, supra cum venulis transversis prominulis, subtus minus distinctis; carpella clavato-obovoidea obtusa in stipitem subaequilonium vel paullo breviorem sensim attenuata.

A superiore differt: indumento, venis costalibus distantioribus, foliis crassioribus, basi acutioribus, apiculo acuto pungenti-firmo, carpellis (licet nondum plane maturis) obovoideis, haud abrupte e stipite egressis. nec ad latera costulis exaratis. — *Ramuli* vetustiores cylindrici sordide grisei glaberrimi, pulvinaribus prominulis rotundato-subobcordatis notati, novelli inter folia hic illic obtusangulati vel parumper compressi et adpresso puberi. *Petioli* antice conniventi-canaliculati, parte laminae decurrente haud computata 2 lin., alioquin (ad dorso visi) 4 lin. longi. *Folia* supra lucidula, olivaceo-fuscescentia, nervatione licet tenui, satis perspicua, marginibus in sicco revoluta, subtus castaneo-fuscescentia venis paulo magis erectis atque distantioribus (ultra ½ poll.—3 lin.) teneris sed nudo oculo distinctis notata, interiecta brevissima subtiliore singulis, 12½—11 poll. longa, 4—3½ lata. *Carpella* cum stipite teretiusculo 1¾ poll. longa, praeter pilos raros hic illuc in stipitis basi superstites glabra, uno latere obsolete sulcata. — *Celebes borealis*, in distr. Menado, ubi *Tjampahan* vocatur: RIEDEL.

3. **GONIOTHALAMUS EUNEURUS** MIQ. n. sp. Folia e basi acuta vel acutiuscula saepius subobverse oblonga, apice lato-rotundato medioque replicato specie emarginata, pergamacea, glabra, utrinque lucida, supra costa sulcata costulis depressis quasi lineata, subtus pallidiora, costulis patulis ante marginem arcuato-unitis fortiusculis prominentibus, venulis obsoletis, interiecta hic illic venula costali brevi perspicua; carpella anguste obovoidea,... sessilia?

Stirps perdistincta, foliis apice extremo singulari modo complicato-recurvis perquam insignis, costulis fortioribus inter congeneres heterogena, non sine dubitatione ad huius generis species a me relata. — *Ramuli* tere-

tiusculi, vetustiores sordide nigrescenti-fuscescentes, pulvinaribus prominentibus subobcordato-rotundatis notati. *Petioli* antice conniventio-canaliculati, circiter semipollares. *Folia* pleraque sursum paulo latiora, basi vix semper acuta, marginibus nunc ubique revolutis, subtus pallidiora atque iuniora sub lente fortiore punctis irregularibus rufis quasi lepidotulis adspersa, costulis inferne 2, superne 4—6 lin. distantibus, subtus perdis-tinctis pertensa,  $11\frac{1}{2}$ —9 poll. longa,  $4\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{3}$  supra medium lata. — *Carpellorum* non nisi fragmenta mihi ad-sunt, pollice longiora, anguste ellipoideo-obovalia, obtusa? sessilia? — *Celebes borealis*, in distr. Menado, ubi *Aripangoe* vocatur: RIEDEL.

4. **GONIOHALAMUS CALONEURUS** MIQ. n. sp. Gemmae tenere velutinae; folia brevi-petiolata, e basi acutiuscula plerumque obverse elongato-oblonga subabrupte breviter acuminata, pergamaceo-coracea, supra costa costulisque canaliculato-depressis subtus iisdem prominentibus regulariter pertensa, adulta supra glaberrima subtus discolora pilisque tenerrimis rarissimis hic illic superstitibus adspersa, costulis 26—14 patulis ante marginem exakte arcuato-coniunctis laxeque transverse venosis; flores „la-terales penduli;” carpella stipitata (breviter?) inaequilatero-ellipsoidea brevi-acuminata, praesertim apice deliquescenti-pubera, superposite disperma, „atro-fusca, dein nigricantia.”

Species pulcherrima, quam *Unonae dactylocarpae* titulo beatus ZIPPELIUS e *Nova-Guinea* misit, ex habitu et unici carpelli quod prostat fabrica sub hoc genere enumeranda, foliorum magnitudine et praesertim nervatione per quam insignis. „*Caulis* arboreus 15—25-pedalis, ramis cinereo-fuscis verrucoso-punctatis.” *Ramuli* teretiusculi pro foliorum mole haud crassi cinerascentes, hic illic lenticellosi, petiolorum cicatricibus haud perspicue prominentibus subrotundis notata. *Petioli* in sicco nigrescentes, plerique subtilissime puberuli, cylindracei, antice canaliculati, sed canalis marginibus extenuatis imbricato-conniventibus, 3—4 lin. longi. *Folia* firmiter chartacea usque subcoriacea, pleraque obverse anguste longiterque oblonga, alia parallelo-oblonga, i. e. sursum haud latiora, basi haud perspicue acuta, nec tamen obtusa praedicanda, ex apice lato satis abrupte breviterque acuminata, marginibus sub exsiccatione interrupte leviter revoluta unde primo adspectu repando-denticulata adpa-rent, nec tamen ita sunt, nunc fere glaberrima, iuvenilia probabiliter, si gemmas teretes acutas conspicias, subtus adpresso parce velutina, pilis lucidulis fusculis teneris hic illic adhuc subtus videndis (et verrucellae in costa obviae pilorum cicatrices esse videntur), supra sordide fuscescenti-virentia nervisque venisque canalicula-ta, subtus („pallida”) nunc laete fusca, lucida, costa semiterete prominente, costulis subaequidistantibus arcubus inter se unitis, (ex arcuum parte superiore angulato-flexa vena extrorsum egressa cum confinibus extimam adhuc anastomosin sistit), venis oblique transversis inter costas prominentibus laxe subreticulatis, 16—8 poll. longa, 5 vulgo  $4\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{4}$  supra medium lata. *Carpellum* submaturum stipite tenui sed diffracto suffultum 10 lin. longum subdimidiato-inaequilaterum lato-ellipsoideum rostrato-acutum, *pericarpio* coriaceo, dispermo, *semine* inferiore subgloboso, superiore semigloboso. — *Nova-Guinea*: ZIPPELIUS.

5. **GONIOHALAMUS DISPERMUS** MIQ. n. sp. Innovationes rufo-aureo-velutinae; folia brevi-petio-lata, e basi plerumque rotundata anguste aequilata sublanceolato-oblonga breviter vulgo obtuse acuminata vel apiculata subpergamacea, iuniora subtus adpresso pubera, demum subglabrata, venis costalibus subdistinctis; flores axillares solitarii; sepala basi connata crassiuscula enervia cum alabastro aureo-velutina; mitra dense albo-velutina; carpella matura oblonga acuta disperma, pericarpio firmiter coriaceo extus laevi.

Foliis *G. sumatrano* et *G. oxycarpo* mire similis, sed praeter insigne florum discrimin singulorum fructus diver-sissimi. *Petioli* circiter 2 lin. longi, in sicco nigrescentes, antice canaliculati. *Folia* nunc subtus pallidius fus-cescentia, venis costalibus satis densis patulis, demum utrinque subdistinctis pertensa, supra nitidula, marginibus in sicco leviter recurvis, basi rarius acutiuscula, 8— $4\frac{1}{2}$  poll. longa,  $2\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$  lata. *Pedunculi* solitarii, basi *bracteis* parvis amplexi, subaureo-velutini,  $\frac{3}{4}$  poll. longi. *Calyx* eodem tomento obductus, crassiusculus, 3-fidus, *sepalis* scil. ad  $\frac{1}{2}$  fere unitis, lato-triangularibus subacuminato-acutis, sub anthesi utrinque subglabrat. *Corollae alabastera* iuvenilia brevia conica aureo-velutina; florentis *petala* 3 *exteriora* lato-lanceolata sursum pe-detentim acuminato-angustata, dorso basi aureo-velutina, caeterum utrinque pubera, nervo medio extus strigilloso, 2 poll. paulo longiora, basi  $\frac{3}{4}$  poll. lata; 3 *interiora* in mitram brevem conicam extus albo-sericeo-villosam connata, singula lato-brevi-unguiculata. *Torus* convexus foveolatus, pilis brevibus griseis circa foveolas dispositis. *Stamina* generis, connectivo producto truncato. *Carpella* fusco-aureo-strigillosa oblongo-ovata dorso carinata, in *stylum* longum gracilem antice sulcatum glabrum flavum curvulum deciduum excurrentia, *stigmate* bilamellato, lamellis concavis calyptrato-compositis deorsum flexis stigma globosum subtus cavum mentientibus (quibus cum *G. sumatrano* congruit); *matura* brevi-stipitata sensim glabrescentia oblonga acutata, pleraque di-sperma,  $1\frac{1}{2}$ —1 poll. longa, disperma inter semina ellipoideo-oblonga leviter constricta, monosperma oblongo-ellipsoidea. *Semina* valde aromatica. In sp. a b. DE VRIESE lectis folia aliquid maiora; *carpella matura* pollice